

THESES MEDICÆ,
DE
SVMMIS VITÆ
CONSERVANDÆ
SCOPI S.

Pro quibus,
DEO ÆTERNO ADJUVANTE,
PRÆSIDE

PHILIPPO
SCHERBIO,

publicè disputabit
STEPHANUS GEIGER
NORIBERGENSIS,
In Inclyta Noribergenſium Academia
Altorfina,

Ad diem Septembris,

ANNI

MDCCCLXXII.

NORIBERGÆ,

Ex Typographéo Pauli Kauffmanni.

Diaetet.

152,24

Dis. diet.

43

2.

CLARISSIMIS ET EXCEL-
LENTISSIMIS VIRIS,

D. LEONHARDO DOLDIO,

&

D. JOANNI NEUDORFFERO,

Medicis ac Philosophis eximiis,

Dominis & fautoribus suis debitâ
observantiâ colendis,

Theses hasce

Gratitud. & observ. Monum.

L. M. O. D. D.

Stephanus Geiger R.



THESES MEDICÆ,

DE

SVMMIS VITÆ

CONSERVANDÆ

SCOPI S.

THESIS I.



MORTALIA tam diu vivunt, quandiu anima nutriens cum suo calore in illis manet.

II.

Manet autem ea, si nutrimenti quantum fatis est, nunquam corpori defiat, & eius instrumenta, ad vivendum necessaria, integra & valentia sint.

III.

Instrumenta ejusmodi sunt, tum exteriora, tum interiora.

IV.

Et in aliis quidem pauciora, rudiora & simpliciora; in aliis autem plura, elaboratiora, omniq̄ue apparatu instructiora.

V.

Instrumenta interiora in animalibus, quæ ingrediuntur

tur & respirant (nos hominem inprimis intuemur) necessaria sunt cor, cerebrum, pulmo, jecur dextrum, jecur sinistrum, cætera.

VI.

Ex exterioribus illis maximè indigemus, quibus tùm cibi, tùm reliquiarum ejus quotidiana fit *εἰς τροφήν καὶ ἐκ τροφῆς.*

VII.

Quibus adjungi possunt & sensuum instrumenta, sed inprimis tactus & gustus.

VIII.

Hæc igitur instrumenta omnia, quantum fieri potest, integra & valida servanda sunt, simulque nutrimentum suppeditetur necessè est, si modò fato & naturâ, non violentiâ, hinc abire voluerimus.

IX.

Est autem nutrimentum, aut inconcoctum, aut concoctum.

X.

Inconcoctum est cibus & potus.

XI.

Is ejusmodi esse debet, ut facilè à calore naturali concoqui possit. Ad naturam enim alimenti pertinet vinci, non vincere.

XII.

Cibus quidem facilius concoquitur, qui, antequam in ventrem demittatur, benè dentibus attritus est. Hinc rectè Arabes: Qui non benè masticat, odit animam suam.

XIII.

Concoctum nutrimentum est sanguis: Is maximè, qui perfectionem ultimam in corde accepit, quem *τροφήν* Hipp. appellat.

Et

XIV.

Et sanguis quidem, quò melior erit, eò melior efficitur nutritio, & corpus nutritum firmitus & validius constituetur.

XV.

At ex illo cibo melior gignitur sanguis, qui magis aëreus, magisque levis fuerit.

XVI.

Adsit tamen etiam is modus oportet, qui naturali calori respondeat.

XVII.

Nutritum igitur requiritur: & requiritur non solum quia corpus, sed etiam, quia calor (instrumentum commune) nutritur, & magis quidem quam corpus, ut author quidem est Aristoteles, omnium bonorum nobilissimus author.

XVIII.

Jam quia necessè est, alimenti detrimenta subnasci:

XIX.

Et quia calor etiam non sinendus tanquam sub cineribus marcescere:

XX.

Necessè etiam est, exercitationem corporis adhibere, quæ calorem ad concoquendum, & ad nutriendum, denique ad excrementitios humores consumendos excitet.

XXI.

Ubi tamen cautione opus est. Cum enim exercitatio sæpè iteranda atque repetenda sit, diligenter videndum, ne in assiduum ea convertatur laborem.

XXII.

Hic enim non solum malos, & excrementitios, sed etiam bonos, utiles & necessarios consumit humores.

3 Exiccat

XXIII.

Exiccet enim labor, & propterea senectutem maturat,
& mortem accelerat.

XXIV.

Tantundem, imò plus etiam mali afferunt labores
animi qui dicuntur.

XXV.

Hi potissimum sunt privatarum, aut publicarum re-
rum curæ, & administrationes graves & molestæ, quæque
adversos & infelices exitus habent.

XXVI.

Nam quæ jucundæ sunt, & ad optatum finem perdu-
cuntur, ne labores quidem animi appellandi sunt. Quippe:
his enim diditur quoquo versum natus calor, & in gra-
viori ætate, senes inde quasi excussâ senectute, recalescunt.

XXVII.

Idem quoque de artium & scientiarum studiis dici
potest, si modò suo tempore, & suis horis colantur, & mo-
dus adhibeatur.

XXVIII.

Nullo igitur pacto exercitatio negligenda est, quo &
corpus, quantum per rerum naturam licet, excrementis
vacuum reddatur, & calor excitetur.

XXIX.

Verum, quia non semper sentire & agere possumus,
sed ejus certum tempus definitum à natura est, ubi tem-
pus illud elapsum est, quies & cessatio quædam succedat
oportet.

XXX.

Hujusmodi quies somnus appellatur, quo optima fit
concoctio & nutritio. Natura enim, ut Stoici loquuntur,
noctu agit, anima interdiu.

X X X I.

Ex hac concoctione & nutritione, calor maximè nutritur & augetur, atque inde vividior & valentior efficitur.

X X X I I.

Sed ne is in suo fonte nimis ebulliat, & celerioris interitus author fiat, frigidus aliquo afflatu temperandus est.

X X X I I I.

Ad id efficiendum, maximè omnium corporum aptus est aër, qui tenuitate substantiæ in omnes pulmonis partes penetrat, & alternâ inspiratione & expiratione cordis calorem refrigerat.

X X X I V.

Neque verò propter hanc solùm causam, magna aëris habenda ratio est: sed etiam quatenus is corpora nostra ambit & continet.

X X X V.

Si enim purus est, cæterasque laudes habuerit, vires confirmare & vegetiores reddere, sin minus, damnis nos plurimis augere potest.



P A R E R G A.

I.

DOCTRINA elementaris veterum, hodie aut ignoratur, aut certè negligitur.

I I

Eam sequutus est Aristoteles in Politicis, quâ
de

de formis Rerum publ. in Analyticis, quæ de mix-
tione propositionum. Sequutus est Galenus,
eâmque laudavit, in de T. Valetud. In Methodo
med. In doctrina de pulsibus; In Epid. & comment.
aph. de statibus aëris. Sequutus etiam est Her-
mogenes, de characteribus & formis dicendi.

III.

Unum idemque potest esse alimentum, medi-
camentum & venenum.

IV.

Rectè Prosper Alpinus, gummi nostrum
Arabicum, vult esse gummi Acacia veterum.

V.

Iberidis caput in Dioscoride spurium videri.

VI.

Curcuma officin. Cyperum Indicum Dioscori-
dis videri.

VII.

Argentum vivum) (Argentum vivum non
est frigidum &) (est frigidum & hu-
humidum.) (midum.

F I N I S.

Diact 152, 04